

**Boniface, Sermon XV
De abrenuntiatione in baptisate**

1. Audite, fratres, et attentius cogitetis quid in baptismo renuntiastis. Abrenuntiastis enim diabolo, et omnibus operibus ejus et omnibus pompis ejus. Quid sunt ergo opera diaboli? Haec sunt superbia, idolotatria, invidia, homicidium, detractio, mendacium, perjurium, odium, fornicatio, adulterium, omnis pollutio, furta, falsum testimonium, rapina, gula, ebrietas, turpiloquia, contentiones, ira, veneficia, incantationes et sortilegos exquirere, strigas et fictos lupos credere, abortum facere, Dominis inobedientes esse, phylacteria habere. Haec et his similia mala opera sunt diaboli, et his omnibus in baptismo renuntiastis, et, sicut Apostolus dicit: *Qui talia agunt digni sunt morte, et regnum Dei non consequentur.* Sed quia credimus per Dei misericordiam et his omnibus superius dictis corde et opere renunctis, ut veniam consequi mereamini, admoneo vos, fratres charissimi, ut reminiscamini quod omnipotenti Deo promisistis.

2. Primitus enim promisistis credere in Deum omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum sanctum, unum omnipotentem Deum in Trinitate perfecta.

3. Haec sunt mandata Dei quae facere et conservare debetis, ut Deum, quem confessi estis, diligatis ex toto corde, ex tota mente, et ex tota virtute. Deinde proximos vestros tanquam vosmetipsos. In his omnibus mandatis tota lex pendet et prophetae. Estote patientes, estote misericordes, benigni, casti, impolluti. Filios docete ut Deum timeant, familiam similiter. Discordes pacate. Qui causas audit, juste judicet, munera non accipiat, quia munera obcaecant etiam sapientes.

4. Diem Dominicum observate, ad ecclesiam convenite, ibi orantes et non verbositantes. Eleemosynas date juxta vires, quia *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Hospitales invicem peregrinos suscipite, infirmos visitate, viduis et pupillis ministrare, decimas reddite ecclesiis, et quod tibi non vis, alii ne facias. Deum solum ubique timete. Servi subditi estote dominis, et domini justitiam conservate servis. Orationem Dominicam et Symbolum tenete, et filiis vestris tradite et filiis vestris, quorum in baptismo fidejussores exististis. Jejunium amate, justitiam diligite, diabolo resistite, Eucharistiam per tempora sumite. Haec sunt opera quae Deus jussit facere et conservare, et his similia.

5. **Venturum Christum credite,
et carnis resurrectionem,
et iudicium omnium hominum.
Ibi discernuntur impii in ignem aeternum:
justi autem in vitam aeternam.**

Ibi est vita cum Deo sine morte, lux sine tenebris, salus sine aegritudine, satietas sine fame, felicitas sine timore, gaudium sine tristitia. Ibi aeterna gloria, ibi fulgebunt justi sicut sol,

**quoniam oculus non vidit,
nec auris audivit,
nec in cor hominis ascendit quantum
praeparavit Deus diligentibus se.**

6. Hoc etiam vos moneo, fratres charissimi, quia natalis Domini imminet, ut abstineatis vos ab omni luxuria et ab omni fornicatione, et ab omni immunditia, et ab omnibus operibus malis. Iracundiam et odium et invidiam velut venenum de vestris cordibus respuite. Castitatem etiam cum propriis uxoribus conservate. Ornate vos bonis operibus. Eleemosynas pauperibus Christi erogate. Ad convivia lautiora pauperes frequenter revocate. Pacem cum omnibus custodite, discordes pacate. Hoc si fideliter, Christo adjuvante, volueritis adimplere, et in hoc saeculo ad altare Domini securiter potestis accedere, et in futuro ad aeternam beatitudinem feliciter pervenire.